



213.



Disputatio X.
DE REGALIBVS.

Cuius defensionem,

D. O. M. A.

PRÆSIDE,

CLARISSIMO,
CONSULTISSIMO QVE
VIRO, DN. HENRICO BOCERO,
*I. V. D. celeberrimo, & in inçlyta Tubingensi Academia Profes-
sore præstantissimo, Præceptore suo ho-
norando;*

ORDINARIÏ EXERCITII GRATIA
tempore locoq; consuetis, pro tenuitate in-
genij suscipiet.

M. DAVID HOLDER,
Stutgardianus.



TUBINGÆ,
Apud Georgium Gruppenbachium.
ANNO M. D. XCIX.

Diplomatis X.

DE REGALIBUS

Quibus decessione

D. O. M. A.

TRADIT

CELESTISSIMO

CONSTITISSIMO

VERO D. M. H. I. G. O. B. O. C. E. N. O.

et in

se

et

ORDINARI EXERCITII GRATIA

et

et

M. DAVID HOLLDER

Stargardensis



1711

Adm. Gubern. Gubern. Gubern.

1711



I.
Disputatio X.

DE REGALIBVS.

THESIS I.

Regalia sunt Iura principi Romano (quem Imperatorem vocamus) propria, in signum supremæ eminentiæ, pro præmio laborum, quos in gubernando imperio sustinet, tributa. (a) Ita dicta, quòd principem Romanum, siue Imperatorem, cui competunt, Iura nostra Regem appellant. (b) Maximilianus II. Imp. vocat *Keyserliche sondere Hoheit vnd Reservaten*. (c)

(a) per tit. 14. in princ. lib. 1. feudor. constit. Friderici Imp. de pace constantia, § volumus vt regalia. ibi. Ea qua specialiter ad nostram excellentiam spectant, Reichs Unterschied zu Regensburg de anno 1576. § Dardurch dann. Feudista ad tit. 56. qua sint regal. (b) Tit. 26. in princ. vers: si verò ad Regem lib. 1. feud. tit. 54. lib. 2. feud. § sed & quod principi, Instit. de iure nat. gent. & ciuili. l. ult. C. de legib. l. 3. C. de quadrienn. prescript. C. inter dilectos § sed contra ff. de fid. instrum. & c. solita ff. de maior. & obed. (c) dicto recessu Imperij § Dardurch dann.

II.

Vulgò (a) diuiduntur regalia in maiora (b) & minora: nos alia dicimus esse Imperatoriæ Maiestatis (c) alia fisci (d) illa personalia, hæc fiscalia non ineptè appellantur.

(a) Dd. ad dict. Tit. 56. qua sint regal. Ioh. Borcholt in explicat. dict. Tit. cap. 1. num 3. Vult. de feud. lib. 1. cap. 5. num. 7. (b) Hæc quidam potiora, quidam merè regalia vocant. vide Zas. consil. 16. num 64. part. 2. (c) Maiestas Imperatoria, cuius mentio fit in prefat. ad Instit. in princ. & alibi sæpè, nihil aliud est, quàm supremum decus, amplitudo, autoritas & dignitas Imperatoris Romani: vt ex Cic. de inuent. ad Herenn. 2. de orat. alijs autoribus conuincitur, & docet Cont. ad l. 1. ff ad leg. Iul. Maiest. & Cuiac. ad dict. Tit. 56. lib. 2. feud.

III.

Regalia Imperatoriæ Maiestatis sunt, quæ ad principis Romani supremum decus & autoritatem sine pecuniario commodo pertinent: veluti creare Principes, Comites, Barones, Nobiles (a) conferre feudum Ducatus, Comitatus, Marchionatus, (b) creare item Magistratum ad Iustitiam expediendam, (c) vniuersales condere leges

aa 2 (d) Aca.



(d) Academijs constituere, & priuilegijs ornare (e) creare tabelliones
(f) legitimare spurios (g) restituere famam, (h)

(a) per l. sacrilegij. s. ubi Br. & alij C. de diuers. rescript. l. ult. § viros autem illustres & ibi. Paul. Castrens. C. ubi Senat. vel Clariss. l. un. C. de his qua à principe vacat. acceper. lib. 10. l. pen. in pr. & § 1. ubi Alberi. ff. de Decurion. Tiraq. Tract. de nobilit. cap. 6. Carol. Tapia in comment. ad Rubr. Pandect. de constit. princip. cap. 4. num. 112. & seqq. (b) per text. in Tit. 14. in pr. ubi Frid. Schenk Baronum. 12. lib. 1. Feud. & Tit. 10. in princ. Lib. 2. Feud. (c) dict. tit. 56. & Tit. 53. § homicidium quoq; vers. ludices verò. lib. 2. feud. l. un. in pr. ff. de leg. lul. ambit. l. quidam 57. in fin. ff. de re iudic. & l. ult. in fin. C. ad l. lul. repetundarum (d) l. ultima § 1. C. de legib. § sed & quod principi Instit. de iur. nat. gent. & ciuili. (e) Sonsbek in comment. in vsus Feud. part. 8. num. 19. Zas. in epit. feud. part. 5. num. 14. Vult. lib. 1. feud. cap. 5. num. 7. & Dom. Obrecht. disput. feud. 5. thesi 184. (f) Innocent. ad c. cum Tabellio 15. num. 2. extra. de fid. instrum. Iacobin. de S. Georg. tract. de feud. in princ. vers. dubitatur etiam num. 3. Sonsbek. dict. part. 8. n. 19. Ioan. Borcholt ad tit. qua sint regal. num. 4. Dominus Obrecht dict. thesi 184. (g) Nouell. 74. cap. 2. & Nouell. 89. cap. 9. Borcholt. dict. num. 4. & Obrecht dict. thesi 184. (h) dict. Nouell. 89. cap. 9. Boss. tit. de princip. & eius priuileg. num. 180. & seqq. Iacobin. de S. Georg. in verb. princeps pedemontium vers. sed an princeps, num. 14. Ioan. Ferrar. Montan. de feud. lib. 5. cap. 7. vers. Regalia, Decian. respons. 91. n. 2. vol. 1.

IV.

Sub hanc speciem regalium referimus quoque potestatem tribuendi adolescentibus veniam ætatis, id est, ius legitimæ ætatis, & rerum administrationem.

Tot. Tit. C. de his qui ven. atat. impetrar.

V.

Illis autem veniam ætatis Clementia principalis impertiri potest, qui vicesimi anni metas impleuerunt, si mares sint, vel si fœminæ fuerint, quæ decimum octauum egressæ sunt annum. Præter hunc annorum numerum, qui scriptura probari debet, edocere quoque adolescentibus iubentur idoneis testibus morum suorum honestatem probitatem animi, & mentis solertiam.

l. 2. C. dict. tit.

VI.

Adijciamus quoque his regalibus ius absoluendi aliquem à iuramento ad effectum agendi.

per l. ult. in princ. D. ad municip. l. adigere 6. §. ult. D. de iur. patronat. & tex. in ordinat. Cam. Imper. part. 2. tit. 24. Borcholt. ad Tit. qua sint regal. num. 4. Henr. à Rosenth. in Synopsi iur. feud. cap. 5. concl. 3. Vult. de feud. lib. 1. cap. 5. num. 7.

Hæc

MAY 31/3

VII.

Hæc relaxandi & absoluendi ab huiusmodi iuramento potestas etiam Camera Imper: competit, modò prius ad eum principem, vel alium Magistratum: qui hoc iusiurandum de non offendendo exegit à captiuo, scripserit, eiq; desiderium iurati exposuerit, cognoueritque æquum esse & iustum supplicantis postulatam,

dict. ordinat. Cam Imper: part: 2. tit. 24.

VIII.

Addimus etiam his regalibus ius præstandi auctoritatem illis, qui per arrogationem sibi liberos adoptant.

§ Imperatoris Instit. de adopt. l. 2. D. eod. l. arrogationes 6. C. dict. tis

IX.

In horum regalium numero sunt etiam ARMANNIÆ (a) quæ sunt ius habendi fabricas armorum bellicorum, & ARMAMENTARIA PVBLICA (b) quod ius sibi tantum Imperator vindicat. (c)

(a) *dict. Tit. 56. in princ. Lib. 2. feud. ubi hanc lectionem probant Cuiac: & Hotom:*
 (b) *alij aliter hanc vocem interpretantur, ut ostendit Borcholt. dict. lo num. 21. Rosenh. in synopsi Iur. feud. cap. 5. conclus. 19. & Vulteijs lib. 1. de feud. cap. 5. num. 7. Hanc autem probant explicationem Cuiac. & Hotom: ibid tum etiam Ioh. Borcholt. num. 21. ea verissima videtur.* (c) *Novel. 85. de armis.*

X.

Hinc etiam vsus armorum his regalibus connumeratur, siquidem in scio & inconsulto Imperatore nemo regulariter mouere arma, id est, armis vti possit.

l. un. ubi Cuiac. C. ut armorum vsus in scio principe interdicitur sit Lib. XI. Quibus autem permissus sit armorum vsus, expositum est in disput: XIII. class. 3.

XI.

Hinc etiam his regalibus accensem potestatem indicendi bellum, cum ea soli Imperatori competat.

l. 3. vers. eadem lege D. ad leg. Iul. Maiest.

XII.

In his regalibus sunt quoq; viæ publicæ (a) quatenus scilicet Imperatori ius est cogendi ciues Romanos, magistratus maximè provinciarum & territorij cuiusq; ut vias publicas tum muniant (b) tum etiam tutas reddant. (c)

(a) *dict. tit. 56. in princ. lib. 2. feud. l. 4. C. de privileg. domus Augusta Lib. 11. & l. 2. § viarum quadam 22. D. ne quid in loco publico* (b) *d. l. 4. C. de privileg. dom. August. lib. 11. Hotom. ad dict. Tit. 56. in verb. via publica lib. 2. feud.* (c) *per l. 1. § summa, ibi, publicæ*

aa ij

blicæ

DISPUTATIO

blicè interest, sine metu & periculo per itinera commeari ff. de his qui effud. vel deiec. l. 4. in fin. l. congruit. 13. in prin. ff. de offic. praesid. l. 1. § quies 12. ff. de off. praefect. urbi. l. 2. § & omnes, 4. § & unumquemq. 9. C. de offic. praefect. prator. Africa.

XIII.

Quòd si iter facientes deprudentur publicis in vijs, dominus territorij rapinam, & damnum illud resarcire tenetur, maximè si pedagogia exigat.

Myns: cent. 5. obser. 70. & Andr. Geil. lib. 2. obser. pract. obser. 64.

XIV.

Adponuntur quoq; his regalibus flumina nauigabilia, & ex quibus fiunt nauigabilia, (a) scilicet quò ad ius cogendi, vt ripæ fluminis muniantur, aluei purgentur, moles, quæ nauigationem impediunt, tollantur, vel vt riui & amnes in vnum alueum fluminis, quod nauigationi non sufficit, inducantur. (b)

(a) *dict. tit. 56. lib. 2. feud.* (b) *Cura enim horum fluminum ad Imperat: pertinet. l. 2. ff. de fluminib.*

XV.

Errore capi existimamus illos, qui hæc flumina hodie proprietate Imperatoris esse existimantur.

a vt sunt Angel: ad l. fluminum 24. num. 1. ff. de damn. infect. Iacob. de S. Georg. Tract. de feud. in verb. fluminibus, pag. 35 fac. 2. num. 1. & 2. & Capolla tract. de seruit. rust. prad: cap. 31. de fluminibus, num. 4. Sed errore ducuntur, quippe cum ius vetus de proprietate fluminum nominatim non corrigatur, per text: in dict. tit. 56. lib. 2. feud. proindeq; in correctum mansisse putandum erit, per tex. in l. perspicimus 32. in fin. C. d. appell: & in c. 1. in fin. tit. de constit. in 6.

XVI.

In societatem horum regalium admittimus etiam vectigalia (a) quo ad potestatem tribuendi alicui ius exigendi vectigal; quod solus Imperator concedere potest. (b)

(a) *dict. tit. 56. qua sint regalia.* (b) *l. vectigalia 10. D. de publican. & tot. tit. C. vectigalia noua iustitui non posse.*

XVII.

Ius item augendi vectigalia noua, his regalibus rectè adponitur. *l. 4. C. d. tit. & d. l. vectigalia 10. ibi, nec precedentia reformare, ff. de public. & vectig.*

XVIII.

Hodie ad noua instituenda vectigalia præter Imperatoris auctoritatem, principum quoq; Electorum consensus requiritur.

Reichs abschied zu Regensburg de anno 76. § Weiters send wir auch / & duob. § § seqq.

Connu-

317

DE REGALIBVS.

7

XIX.

Connumerantur etiam his regalibus monetæ (a) id est, ius habendi fabricas monetarias, & cudendi monetas, quippe cum hoc ius soli Imperatori cōpetat, & his, quibus Cæsarea Maiestas illud cōcessit.

l. pen. & l. ult. C. de falsa moneta.

XX.

Adiungimus etiam his regalibus Palatia, quæ sunt ædes in Imperatoris vsum comparatæ, & ab omni priuatorum vsum, & communi habitatione exceptæ. (b)

(a) *d. tit. Qua sint regal. ubi Hotoman. pro palatia legendum putat placita, vel placia, quo utroq; nomine significari autumat ius nundinarum, siue forum.* (b) *l. nulli iudicum 14. C. de offic. Rect. prouinc. l. quicumq; 17. C. de oper. publ. & l. un. C. de palatijs & domibus dominicis lib. XI. Eiusmodi fortè ædes esse deberent, ubi conuentus procerum Imperij sunt, die Reichs Versammlung.*

XXI.

Sequuntur regalia fisci, quæ pecuniarium quoddam fisco Imperatoris commodum adferunt. In horum numero est (vt quidam volunt) vectigal, quod nauatæ per publica transeuntes flumina pendunt.

Hoc regale significari per flumina publica in dict. tit. qua sint regal. autumat Radeuicus quidam à Cuiac. d. loc. citatus.

XXII.

In his quoq; regalibus est portus (a) ratione vectigalis, quod ex nauium statione fisco Imperatoris soluitur. (b)

(a) *d. tit. qua sint regal.* (b) *leg. inter publica 17. § publica, ibi, quale est vectigal portus ff. de verb. sign. Aluarot & communiter Dd. ad tit. 56. Qua sint regal. Roderic: Suarius in consil. suo de vsum maris num. 11. quod est additum Beneuenuti Strachea tractat. de mercatura, & adiecto.*

XXIII.

Non desunt, qui portum in constitut. Friderici interpretantur de vectigali, quod pro transitu per pontem soluitur (a) sed malè (b) nostro animo.

(a) *Rosenth. in synopsi lur feud. cap 5. concl. 33. & Dn. Vult. lib. 1. de feud. cap. 5. nu. 7.* (b) *Tum quia proprietas vocis portus hanc interpretationem non patitur, tum quia vectigal, quod transeuntes per pontem, aut publicam viam soluunt, propriè pedagium appellatur c. In nouamus extra de censib. c. super quibusdam Spræterea, ubi gl. extra de verb. sign. c. quanquam tit. de censib. in 6. Vectigal autem, quod pro mercibus importandis & exportandis, earumq; vehiculo in itinere vel transitu pontis soluitur, portorium vocatur. l. cum in plures 60. § penult. ff. locati l. in lege 203 ff. de verb. sign. l. 3. C. de vectig. & com.*

XXIV.

Regalibus fisci ripatica quoque connumerantur (a) quæ sunt vectigal; quod ratione riparum præstatur (b) vt quod pro transitu

situ



DISPUTATIO

situ riparum penditur (c) veluti quod solvunt transeuntes cum naui portum alicuius fluminis, de vna ripa ad aliam. (d)

(a) *dict. Tit. 56. qua sint regal.* (b) *Ioan. Borcholt. ad eundem tit. num. 42.* (c) *Rosenthal in Synopsi lur. feud. cap. 5. conclus. 34. & Vult: lib. 1. de feud. cap. 5. num. 8.* (d) *Abuarot. ad dict. tit. Qua sint regal. num. 2.*

XXV.

In his quoq; regalibus sunt multarum poenarumque compendia. (a) Multa est poena pecuniaria, qua Iudex, cui Iudicatio data est, in aliquem, ob eius peccatum suo arbitrio extra ordinem animadvertit. Poena vero vel corporalis, vel pecuniaria lege definita. (b)

(a) *d. tit. qua sint regal.* (b) *l. aliud 137. § inter multam, & l. si qua poena 244. ff. de Verb sign. l. 2. § 1 ff si quis in ius vocat. non ierit.*

XXVI.

A multa igitur prouocatio est, à poena prouocatio non est. *d. l. aliud. § inter. vers. & multam quidem & d. l. si qua poena § & hoc quoq; ff. de verb. signif.*

XXVII.

Adduntur etiam his regalibus bona vacantia (a) vt sunt, quæ defunctus intestatus sine herede legitimo, puta agnato cognato vel coniuge mortuus reliquit (b) Eadem quoq; caducaria appellantur bona. (c)

(a) *dict. tit. qua sint regal.* (b) *l. 1. l. 4. C. de bon. vacant. lib. 10. l. pen. vers. Intestatorum vero C. de prepos. sacri cubiculi lib. 12.* (c) *Ulpian. lib. Instit. Tit. 28. vers. intestati.*

XXVIII.

Numerantur quoq; in his regalibus bona, quæ per leges indignis auferuntur (a) vt sunt bona hereditaria, quibus successor indignus est, eò quod vel prohibuit defunctum condere testamentum (b) vel prohibuit eum mutare testamentum, in quo heres est scriptus, vel ad sui institutionem defunctum coëgit (c) vel defuncti necem inultam omisit (d) vel per calumniam defuncti testamentum falsum dixit, in quo ex parte tantum heres scriptus est (e) vel quod defuncti codicillis declaratus est non mereri eius hereditatem (f) vel defunctum, cum ille adhuc superstes infirmus esset, non curauit, sed per culpam neglexit, puta medicum ei non adhibuit. (g)

(a) *d. tit. qua sint regal.* (b) *l. 2. C. si quis aliq: testari prohib. l. 1. D. d. tit.* (c) *l. 1. C. eod. tit.* (d) *l. 1. l. si id eò 7. & l. sororem 10. C. de his quib. vt indig.* (e) *l. 2. C. d. tit. l. alia causæ eod.* (f) *l. 4. C. d. tit.* (g) *l. 3. C. d. tit.*

Quod

XXIX.

Quod si non hereditaria sunt bona, licet ijs quispiam sit indignus, non tamen ad fiscum, sed ad alium pertinent. (a) Si enim testamentarius Tutor, qui recusat onus tutelæ, indignus quidem sit legato, quod ei à pupilli parente relictum est, id tamen fisco non vindicatur, sed ipsi pupillo relinquatur. (b)

(a) Id significat Frider. Imp. in d. tit. *Quæ sint regal. his verbis: nisi qua specialiter quibusdam conceduntur* (b) *l. post legatum s. §. amittere, ff. de his qua ut in dign. aufer.*

XXX.

Si quoque legatarius vel fidei commissarius tabulas testamenti celauerit, legatum vel fidei commissum ei relictum, non fisco, sed scripto heredi relinquatur.

l. pen. C. de legat. d. l. post legatum s. §. 2. ff. de his, qua ut indig.

XXXI.

Heres item qui iussus est alij restituere hereditatem, si non sponte sua, sed à Magistratu coactus eam restituerit, indignus est quarta Trebellianica, quæ tamen non fisco, sed fidei commissario heredi restituenda est.

l. si patroni 55. §. Quid ergo iunct. l. quia poterat 4. l. nam quod 14. §. qui compulsus & l. ita tamen 27. §. 2. ff. ad S. C. Trebel.

XXXII.

Aduentitia quoque dote indignus est maritus, qui suam uxorem occidit; Ea tamen dos non fisco inferitur; sed heredibus uxoris tribuitur.

l. si ab hostibus 10. §. 1. ff. sol. matrim.

XXXIII.

Præterea fisci regalibus adponuntur (a) bona contrahentium incestas nuptias (b) si neque liberos in primo, secundo vel tertio gradu constitutos, neque parentes primi vel secundi gradus, neque fratrem aut sororem, aut amitam habeant. (c)

(a) *in tit. Quæ sint regal.* (b) *Incestus quid & quotuplex sit vide thesin 51. disputat: XII. classis 3.* (c) *Novel. 12. cap. 1. & 2. ubi Cuiac. l. si quis incesti 6. iunct. Auth. Incestas nuptias C. de incest. nupt.*

bb

Sunt

XXXIV.

Sunt etiam in his regalibus bona damnatorum, & proscriptorum. (a) Damnatos autem dicimus, qui ob crimen aliquod damnati, iure tacito bonorum suorum publicationem patiuntur, proscriptos eos appellamus damnatos, quorum bona per sententiam expressè publicantur. (b)

(a) *d. Tit. Quae sint regal.* (b) *Cuiac. in paratit F. Cod. Tit. de bon. proscript.*

XXXV.

Sed non aliter horum publicantur bona, quàm si eorum liberi, & parentes usq; ad tertium gradum deficiant, siquidem hi fisco præferuntur.

Novel. 134. cap. ult. d. Tit. Quae sint regalia ibi, secundum quod in novis Constitutionibus cauetur.

XXXVI.

Sunt etiam in horum regalium societate bona committentium crimen læsæ Maiestatis: (a) Et si perduellionis fuerit crimen, liberis etiam, & parentibus auferuntur bona rei, alioqui ut illi, sic, & hi usque ad tertium gradum fisco præferuntur.

(a) *d. Tit. Quae sint regal.* (b) *Novel. 134. vide in pralectionibus meis publicis ad Tit. ff. & C. ad leg. lul. Maiest.*

XXXVII.

Adduntur quoque his regalibus præstationes Angariarum, perangariarum, plaustrorum & nauium.

d. Tit. Quae sint regal.

XXXVIII.

Angariæ, uti remur, sunt munus, siue onus præstandi ad publicum cursum veredos, (a) id est celeres equos publico cursui, hoc est, itineri functionis publicæ causâ faciendo deputatos: (b) qui etiam cursuales appellantur equi. (c)

(a) *l. comperimus 19. & tot. tit. C. de public. cursu, angar. & perang. lib. 12. & l. 2. C. de quib. muner. vel præstat. nemini licet se excus. lib. 10.* (b) *l. 4. l. 5. l. in omnibus 7. l. ut agendi 8. & l. seq. l. his tantummodo 16. l. nemo 20. C. d. tit. c. d. l. comperimus 19. C. eod. tit. Alij aliter definiunt angarias, vide Rosenth. cap. V. conclus. 72. & seq. Vult; lib. 1. de feud. cap. n. 7. pag. 93. in fin. & pag. seq.*

XXXIX.

Perangarias esse arbitramur munus siue onus præstandi in usum exerci-

exercitus publicum parauerunt, quos putamus esse equos agminales, qui in usum exercitus instrumenta, sarcinas, vel res alias conuehant.

per l. 2. d. l. comperimus 19. l. ult. C. d. tit. l. maximarum 12. C. de excus. muner. lib. 10.

XL.

Plaustrorum item, & nauium præstatio ad transuersionem vel armorum (a) vel specierum (b) pertinet.

(a) *l. ult. C. de fabricensib. lib. 11.* (b) *l. 1. C. de quib. pub. muner. vel præstat. nemini licet se excus.*

XLI.

Prædictas præstationes ad maiora quoque, ut vocant, regalia, referre possumus, si spectes ius tribuendi alicui licentiam utendi veredis, paraueredis, plaustris & nauibus illis, siquidem ius illud tribuendi hanc potestatem ad solum Imperatorem pertineat.

l. iudicib. 9. l. nemo 20. C. de curs. publ. lib. 12. l. neminem 11. C. de Epis. & Cler. d. l. 2. C. de quibus muner. vel præstat. nem. lic. se excus. lib. 10.

XLII.

Annumeratur his regalibus extraordinaria collatio ad felicissimam Regalis numinis expeditionem, (a) id est ad transitum exercitus; (b) quam collationem Feudistæ interpretantur superindictum, quod est augmentum indictionis, (c) quæ aliud nihil est, quam annona & tributum. (d)

(a) *dict. Tit. qua sint regal.* (b) *l. si pendentes 27. §. si quid ff. de usufr.* (c) *l. 3. C. Theodos. de collat. fund. patrim. d. l. 3. C. de annonis & tributis lib. 10.*

XLIII.

Non incommodè hoc loco in quæstionem vocatur, an princeps ob collectas statibus Imperij impositas ex sua Camera & proprio marsupio soluere & præstare, an verò à subditis exigere debeat? Et prius Iuri consonum existimamus.

Reichs abschiedt zu Speir de anno 1542. §. Es sollen auch alle Churfürsten mih pag. 285 l. fin. C. de priuileg. dom. August. lib. 11. Modest. Pist. consil. 9. num. 8. Frider. lib. 2. de mandat. cap. 44. num. 3.

XLIV.

Sed an aliàs princeps, aliusuè Magistratus absque Imperatoris singulari licentia, subditis suis collectam imponere possit, quæstio dubia est? placet (a) nobis Dd. communis sententia existimantium, quod extra casum necessitatis, (b) sine Imperatoris permisso collectare subditos suos nemo possit.

bb 2

(a) per

(a) per l. un. C. de superditt. lib. 10. Doctores qui ita censent collegit Borcholt ad Tit. Quæ sint regal. num. 53. (b) In casu necessitatis liberè absq; principis licentia imponi collecta possunt, ut arguit textus in l. omnes 12. ubi Salic. & alij C. de oper. publ. & in l. r. § quod si nemo ff. quod cuiusq; Vniuers. nom. In hanc sententiam magno cumulauit numero Doctores, loh. Borch: ad d. tit. Quæ sint regal. num. 53. Casus illos necessitatis exponit petr. Frider. lib. 2. de mandat. cap. 44.

XLV.

Num autem princeps etiam pro elocanda sua filia, subditos collectare queat; elegans est quæstio? Affirmatiuæ sententiæ subscribimus, si id vel consuetudo vel pactum patiat, vel necessitas postulet ob principis fortè tenuitatem.

Myns. cent. 5. obs. 21. petr. Frider. lib. 2. de mandat. cap. 44. nu. 5. An autem idem ius in naturali filia & sorore obtineat, explicat ibidem Frider. num. 6.

XLVI.

Est & illa controuersia quæstio, an forenses collectari possint de bonis siue rebus sitis in territorio collectantis? Id quod affirmamus, si collecta præcipuè ipsis possessionibus imponatur. Negamus verò, si personis imponatur subditorum.

Petr. Frid. d. l. 2. de mandat. cap. 46. conclus. 10. Vide quoq; Myns. cent. 5. obs. 22.

XLVII.

Adscribuntur porrò his regalibus & argentariæ (a) id est argenti fodinæ (b) quippe cum ex his, ut & cæteris metalli fodinis Imperatori tributum, redditus, vectigal, præstandum sit. (c)

(a) d. Tit. Quæ sint regal. (b) Ita Feudista communiter interpretantur. (c) l. inter publica 17. § 1. de Verb. sign. c. super quibusdam § prater ea ubi gl. extra d. l. 2. l. 3. C. d. metallar. & metall. l. 11. si quis 11. C. de vectigal.

XLVIII.

Accensentur his etiam regalibus piscationum redditus (a) id est pars prædæ piscatoriæ, in mari, & fluminibus publicis captæ, pro vectigali soluenda, (b)

(a) d. Tit. Quæ sint regal. (b) arg. d. l. inter publica 17. § vlt. ff. de Verb. sign. Roderic. Suarius in consil. de usu maris num. 11. & 12. & Hotom: ad Tit. Quæ sint regal. in verb. piscationum redditus. At Cuiac. ibidem existimat, quod fiscus Imperatoris sibi tantum vindicet ius piscandi in mari & fluminibus publicis ex usurpatione, id est, præscriptione, atq; hinc piscationum redditus ad regalia pertinere affirmat.

XLIX.

Reditus quoq; id est vectigal salinarum in priuatorum fundis repertarum regalibus fisci connumerantur: (a) at ipsæ salinæ eorum sunt proprietate, quorum sunt fundi, in quibus sunt inuentæ. (b)

(a) d. Tit.

317

D E R E G A L I B V S.

a) *d. tit. 56. Qua sint regalia. d. l. inter publica §. publica de V. S. & c. super quibusdam, §. praterea ext. d. tit. (b) l. magis §. 1. de reb. eor. qui sub tutel. vel cur. sunt. l. si cuius 13. §. inde est quaesitum. ff. de usufr. l. fructus 7. §. sed si cretifodina. & l. seq. ff. solut. matrim.*

L.

Postremò Fridericus Imperator fisci regalibus adponit dimidium thesauri in Cæsaris vel religioso loco reperti, vt & integrum thesaurum in his locis data opera inuentum.

dict. tit. Qua sint regal.

LI.

Per locum autem Cæsaris in Frid. Imp. constitutione significati putamus locum fiscalem: quippe cum Cæsaris locus sit: qui in Cæsaris priuato est patrimonio; (a) vt proinde dimidium thesauri, in hoc loco reperti, Cæsar vt priuatus alius capiat, (b) non vt Cæsar ex iure regali.

a) *§. vlt. Instit. de usucap. l. cum seruus 39. §. vlt. ff. de leg. 1. l. 3. C. de quadrien. prescr. Hotom. lib. quaest. illustr. quaest. 1. (b) §. thesauros vers. at si quis & vers. seq. Instit. de rer. diuis.*

LII.

Sed an accenseri debeant regalibus merum quoq; imperium & ius venandi, haud ineptum fuerit, hoc loco quaerere? Nos vtrumque negandum remur.

Merum namq; imperium, vt portio iurisdictionis ipso genere à regalib. differt: Et merum imperium non à rege, i. imperatore tantum pendet; sed & S. C. delegatur. l. 1. in pr. ff. de offic. eius cui mand. est iuris. Quod attinet ius venandi, illud etiam priuatis competit l. item 9. §. aucupiorum & l. usufructuarium 62. in pr. ff. de usufr. l. venationem 26. ff. de usur. Dissentit quoad merum imperium Roland. consil. 1. & cons. 42. vol. 2 Vult. d. lib. 1. de feud. c. 5. n. 7. pag. 96. In iure venandi dissentit etiam Prukman de regalib. §. venatio.

LIII.

Et si verò olim regalia isthæc fiscalia Romani imperij fisco plurimum commodabant; siquidem sub Friderico Barbarossa auri tonæ Sexaginta in Germania & Italia quotannis ex ciuitatibus, portorij, vectigalibus, telonijs in fiscum Imperij colligebantur, (a) at tamen vt in alijs Reip. Romanæ veteris splendor & potentia concidit, ita hic quoque regalium diuitijs magna ex parte Imperij fiscus nunc exutus est.

a) *Ioan. Schneid. ad tit. Inst. de hered. qua ab intest. defer. c. success. fisci. num. 5.*

LIV.

Cæterum licet regalia ad principem pertineant Romanum; vsus tamen eorum penes alios quoq; esse potest, vel ex concessione Romani Principis, vel ex præscriptione.

bb 3

c. super

DISPUTATIO.

c. super quibusdam §. praterea extr. de V. S. l. 4. C. vectigal. nou. instit. non poss. Mynf. cent. 4. obs. 24. & cent. 5. obs. 30. Constitutio Friderici Imp. de pace constantia §. nos Romanorum & §. volumus.

L V.

Nunquid autem Duces, Marchiones, cæteriq; Principes & Comites orbi Romano qui subsunt, ex eo quod de regali suo fundo, Ducatu scilicet, Marchionatu, Principatu, Comitatu, per Imperatorem inuestiti sunt, maiora (vt vocant) regalia vindicare sibi possunt? Et licet Dd. (a) ita communiter sentire videantur: attamen sententiam contrariam putamus veriolem. (b)

a) quos refert & sequitur Borcholt ad tit. qua sint regal. num. 7. & 8. (b) per text. in Constit. de pac. Constant. §. volumus, ibi, vt regalia, qua vobis non concessimus, & text. in Recess. Imp. de anno 1576. §. dardurch dann. text. in aur. bulla Caroli IV. tit. Von Gold / Silber vnd ander Erbz / text. in c. intellectu vers. quia, ibi, cum teneatur iura regni sui, & honorem corona illibata seruare ext. de iureiurando. Accedit huc, quod constitutio tit. 56. Qua sint regal. generalis est; vt proinde etiam ad Ducatus, Marchionatus, Principatus, Comitatus referenda: cum hi nominatim excepti non sint. Adhuc cum maiora illa regalia sint iura persona Imperatoris coherentia: Ducatus autẽ Marchionatus, Principatus, Comitatus, res sint non coherentes persona; his certè concessis, haud dici potest & illa esse concessa; cum toto genere differant. Deniq; hanc contrariam sententiam tenent Molin. ad consuet. Paris. §. 1. gl. 5. num. 53. & 55. pag. 61. Iacobin. de S. Georg. tractat. de feud. in verb. Et cum piscationibus. n. 2. tum etiam Dn. Forsterus de successione lib. 1. cap. 34. num. 32. vbi prædictos Principes nec arrogare, nec legitimare posse affirmat. Sed aiunt alij, isthac principatus feuda esse feuda regalia, item principes illos in suis principatibus omnia posse, qua potest Imperator in imperio.

L VI.

Quid verò si Dux, Marchio, Comes, cum generali omnium regalium concessione de Ducatu, Marchionatu, Comitatu, inuestitus fuerit; an nẽ & maiora illa regalia, in ipso principatu, quo ad seius subditos concessa censentur? Dd. quidem generaliter id plæriq; asserunt (a) at nostro iudicio sine iusta ratione. (b)

a) quos cumulat Rosenth. in synops. iur. feud. cap. 5. conclus. 9. (b) Sunt enim quadam ex his regalibus, qua absurdè isthac generali concessione tradita dixeris, velutè creare principes, conferre feudum Ducatus, Comitatus, Marchionatus, indicere bellum, &c. Quin etiam hac maiora, vt vocant, regalia, generaliter alienari prohibita videntur per text. in d. cap. intellectu, ibi, in præiudicium regni sui & præter Regis honorem, item ibi, quia cum teneatur iura regni sui, & honorem corona illibata seruare. ext. de iureiurand. Consert quoque huc, quod in generali concessione non veniunt ea; qua specialiter concedi solent cap. in generali. tit. de Reg. Iur. in 6. arg. l. quæro 39. ff. de act. empt. l. obligatione 6. ff. de pignor. Accedit & illud, quod non sufficit generaliter fieri eas; qua specialiter fieri iure nostro præcipiuntur l. 4. §. quæsitum est ff. si quis caution. l. 1. §. inter

enter filium. 8 l. Diuus. 15. §. 1. ff. ad leg. Corn. de fals. l. si quando. 35. §. 2. C. de inoff. test. De-
niq; & huc facit autoritas Barthol. Camerarij & aliorum quos allegat in repetit. l. impe-
rialem Tit. de prohib. feud. alien. pag. 568. in fin. & seq. & pag. 641. Priori loco, quadam,
ait, regalia sunt, quæ cohærent ossibus Principis & concedi non solent, ut eudere monetam
& similia, pag. seq. Tria, ait, faciendâ sunt capita; primum de regalibus, quæ non possunt
nec solent quandoq; concedi, & in istis sumus concordēs, ut non veniant. Alterum, quando
aliqua sunt regalia, quæ tamen concedi solent, & subsunt rei concessæ, ut exigere gabellam
in Comitatu, & concessio Comitatu, illa veniunt Tertium verò, quando hæc regalia non
subsunt comitatui; ut est inuestire aliquem de feudo quaternato secundum quid, & hoc
modo veniret. d. pag. 641. Regalia, ait, diuiduntur sub duplici specie, quia quadam cohæ-
rent ossibus Regis, ita ut ab eo euelli non possint, ut puta leges condere, eudere monetam,
Notarios creare, & cognoscere de crimine læsæ Maiestatis, quæ et si Rex vellet à se abdicare,
nequiret, & hæc in generali concessione non veniant.

LVII.

Et inepta nobis videtur Dd. (a) dissimilis illa comparatio, quæ
volunt, quòd si regalia ab Imperatore generaliter concedantur, per
generalem illam concessionem, maiora regalia, concessa dicantur
Ducibus quidem, Marchionibus, Comitibus, non autem alijs. Quæ
huius quæso diuersitatis est ratio? nunquid quòd illorum feuda sunt
regalia, quòd item in suis principatibus omnia possunt, quæ Impera-
tor in imperio? Neutra certè ratio firmat hoc pronunciatum. Quæ
causa est, cur non his maiora videantur tributa regalia, eandem
quoq; in illis militare dicimus.

a) quos referunt & sequuntur Borcholt. ad tit. Quæ sint regal. num 9. & Schonerus
lib. 1. disp. feud. 4. thes. 9.

LVIII.

Quod attinet regalia fisci, hæc sunt, quæ concedere Imperator
alijs potest, (a) modò non magnum Imperij præiudicium conti-
neat ea concessio, (b)

a) d. c. super quibusdam §. præterea ext. de V. S. l. 3. C. vectigal. noa. instit. non poss. l.
si Curator s. ff. de iur. fisc. text. in aur. bulla Carol. IV. Tit. Von Gold / & liber vnd an-
der Erz; & recess. Imp. de anno 1548. mih. pag. 10. §. Vnd soll vnter. iunct. §. Wann
auch ein außgezogner. (b) d. c. intellecto ext. de iure iur. & tradunt ita Dd. quos re-
censet & sequitur Carol. Tapia in comment. ad rubr. & l. fin. ff. de constit. Princip. part. 2.
cap. 9. num. 33. & seq.

LIX.

Præscriptione acquiruntur fisci regalia, tanti temporis, cuius ini-
tium hominum memoriam excedit. (a) De regalibus Maiestatis id
nisi ex Dd. sententia affirmare non possumus. (b)

a) d. c. super quibusdam. §. præterea ext. de V. S. l. hoc iure §. ductus aqua ff. de aq.
quotid. & est. (b) per ea quæ de concessione horum regalium diximus.

Quod

LX.

Quod si non contra Imperatorem sed alium quasi possessorem regalium præscriptio fiat, 40. annos sufficere putamus.

Per l. ult. C. de fund. patrimon. lib. 11. l. sicut 3. l. omnes. 4. l. competit. 6. l. cum notissimi. 7. C. de præscript. 30. vel 40. ann. Borcholt. post alios ad Tit. Qua sint regal. n. 19. vid. Didac. Couarr. ad c. possessor malæ fidei tit. de Reg. Iur. in 6. part. relect. 2. §. 2. n. 8. vers. Tertia species, & §. 3. num. 5. & lib. 1. var. resol. c. 17.

LXI.

Publicas tamen, non priuatas personas, præscriptione regalia acquirere putamus.

Arg. l. 3. C. de iurisdic. Idq̄, sentire videtur Bart. ad l. omnes populi 9. num. 14. ff. de iust. & iur.

LXII.

Adspergi prædictis & hæc potest quæstio: An etiam Pontifici Rom. Iure proprio regalia competant? Alij id affirmant, alij negant, (a) & horum sententia nobis probatur. (b)

a) quos numerat Vult. lib. 1. de feud. cap. 5. num. 7. pag. 97. (b) Regalia enim à Rege dicuntur, ut supra ostendimus, proindeq̄ eius tantum propria sunt. Et quia ad Pontificem Rom. propriè non pertinent regalia, nec Episcopis alijsq̄ personis Ecclesiasticis competere ut propria possunt, sicuti communiter sentiunt Dd. quos recenset Vulteius d. c. 5. pag. 98.

FINIS DISPUTATIONIS
NONA.

Ka 3071

(3/4)


ULB Halle 3
003 261 573



sb

Burblind. 3/1.





Disputatio X.

REGALIBVS.

Cuius defensionem,

O. M. A.

PRÆSIDE,

RISSIMO,

ULTISSIMO QVE

N. HENRICO BOCERO,

rimo, & in inclita Tubingensi Academia Profes-
re præstantissimo, Præceptore suo ho-
norando;

RRI EXERCITII GRATIA

ore locoq; consuetis, pro tenuitate in-
genij suscipiet.

DAVID HOLDER,

Stutgardianus.



TUBINGÆ,

Georgium Gruppenbachium.

ANNO M. D. XCIX.

